

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



50
THERANTHRO-
PISMUS FICTUS.

Qvem
JEHOVA JUVANTE

sub

PRÆSIDIO

Præcellentis ac Præclarissimi

DN. M. JOHANNIS REINHARDI,

Hilperhusâ - Franci,

Præceptoris sui dexterrimi, juxtim atq; Fautoris,

cùm honoris, tum observantiæ cultu usq; & usq;

ætatem devenerandi, colendi,

Publico Φιλοσοφῶντων Examine

sistet


MICHAEL HENRICUS Krause /

Torgav: Misnic.

In Auditorio consveto,

Horis antemeridianis

Die XI. Octobris,



WITTEBERGÆ,

Excudebat JOHANNES BORCKARDI, Acad. Typogr.

ANNO 1673.

INCLUTÆ REIPUBLICÆ
TORGAVIENSIS

D N N.

CONSULIBUS,
JUDICIBUS,
CAMERARIIS, Cæterisque
AMPLISSIMI SENATUS

VIRIS

*Maxima Authoritate Gravissimis,
Eminentis Doctrinâ Excellentissimis
Rerumq; usu atq; experientiâ Consultissimis,
Prudentissimis,*

D O M I N I S

Promotoribus atqve Meccœnatibus

suis Magnis, Maximis, humillimô obsequiô

suspiciendis, colendis,

Disputationem hanc, tanquam

Studiorum suorum primitias,

In Observantiæ summæ tesseram atq; arrhabonem


Studiorumq; perpetuam recommen-

dationem,

humillimè ex Alma Leucorea transmittit

Michael Henricus Krause /

Phil. & SS. Theol. Stud.



בְּתוֹמֵי

De

Theranthropismo ficto.

§. I.



uim permulta de Lycanthro-
pismo, & qualicunq; hominum *μεμότες* cir-
cumferantur, & non ita pridem Viri cujus-
dam, vel illustris, vel haud ignobilis profa-
pia *Κυρανθροπία* ad nostras perlata sit au-
res, meditatus materiam aliquam, Publico
Examine sistendam, in animum induxi,
hanc ipsam Deo juvante in manus sumere,
ac pro ingenii modulo sub deliberationis incudem vocare.

Quæritur nimirum,

Num detur Theranthropismus?

§. II. Ut eò feliciter hanc Quæstionem excutiamus, nota-
bimus (1) Antithesin simplicem. (2) Thesin. Et circa hanc pro-
posituri sumus (1) *ὀρθοκρουασικήν* Statum Controversiæ ritè for-
mantem. (2) *κατακρουασικήν*, Thesin confirmantem. (3) *ἀνακρου-
ασικήν*, Antitheseos Argumenta discutientem.

§. III. Quantum ad Antithesin, pro existentia Theranthro-
pismi militant Petrus Pomponatius *Libro de Incantatione p. 292.*
seqq. Jacobus Lichtenbergius *Libro de Sagis & Magis Joh. Ferne-*
sius lib. 2. de abditis rerum causis Cap. 9. Johannes Bodinus *lib. 2.*

A 2

demo.



demonomania Cap. 6. Ita Virgilius de Incantatione Moeri:
Hic ego saepe lupum fieri & se condere silvis, Bucol. 8. Apud Rosios,
Livanos, Lappanos, Ingros, Scirkianos esse Magos, qui an-
nuatim proximis à die Natali duodecim diebus Luporum indu-
ant speciem, per campos divagentur, pecora & armenta infe-
stent, scribunt Herodotus in *Melpomene* & Antonius in *Historia*
Vngarica decade 1. lib. 1. Olaus Magni Gottus in *historia Septem-*
trionali lib. 2. C. 3. *Visa sunt*, inquit Peucerus lib. de divin.
p. 170. & nobis fabulosa esse, & ridicula, quae de hac *Metamorpho-*
si hominum migrantium in figuram luporum saepe narrari audivi-
mus: Sed non prorsus ficticia & falsa esse, de certis & exploratis in-
dicationibus testium à *ἑπιτινω* comperimus, qui accidere tale ali-
quid, proximis à die Natali, duodecim diebus annuatim, per Livo-
niam, & vicinas regiones, certò cognoverunt ex confessionibus plus-
rimorum qui ex numero illo propter scelera comprehensi, & tor-
mentis examinati fuerunt. Rem ita geri narrant. Ineuntibus
diebus, qui proximè Natalem Domini sequuntur, circumit puer al-
tero pede claudus, qui illa diaboli mancipia, quorum ingens est nu-
merus, convocat, & sequi jubet: quod si cessant & cunctantur, mox
alius vir procerus, si flagello ex loris ferreis, isq; flexibilibus, connexo
perpulsos, cogit, ut procedant properè. Is cadere miseros adeo gra-
viter dicitur, ut multo tempore vestigia ex vibribus reliqua, cum
magni doloris sensu, corpora vellitent. Quamprimum autem ac-
tinguntur ad sequendum, mox exui priori specie, & lupina indui vi-
dentur. Conveniunt aliquot millia. Praeit dux cum flagello ferreo:
sequitur agmen eorum, qui se luporum specie circumdatos falsa per-
spasione eredunt. Educti in obviam pecora irruunt mordicis, & ap-
prehensa dilacerant: rapiunt, quae possunt: dant & alia damna. Sed
homines attingere aut ledere, non illis fas est. Ad flumina ubi ac-
cesserunt; dux flagelli ictu aquas findit, ut debiscere & discedere
videantur, relicto sicco tramite, quò transeant. Exactis diebus
duodecim, dissipatur agmen rursus, & ad se quisq; deposita lupi &
recepta hominum specie, revertitur.

§. IV. Et annon pro Theranthropismo stare potest, quod
non ita pridem relatum est à Noricis d. 16. Januarii anni curren-

sis



5
tis in Novellis de Κυνανθρωπία? Est Vir, inquit, N. N. ce-
lebris stemmatis (cujus nomen, locum, certas ob causas adusque
aliud tempus silentii nunc sippario involvimus,) qui in arce sua,
non ita multis miliaribus ab urbe N. distante, nullum acerbitatis
importunitatisque genus erga Subditos suos prætermisit. Inter
alia Villica quædam (Vidua quinque Patre orborum secum du-
cens, ut aliæ volunt Novellæ) cum unica saltem vacca contri-
butum sibi impositum solvendi causa adveniebat; quæ ingenti
mœrore atque animi agitudine incedebat, animo sibi pollicita,
Dominam N. ejusdem arcis, aliàs summæ beneficentiæ titulum,
optimo jure demeritam (probe intelligentem, quod vacca jam
jam tradenda omnes essent facultates atque divitiæ Villicæ) cura-
turam esse, ut redderetur, quod etiam factum. Hoc Domingo
arcis expertus, ministros suos ad eam ablegabat, additò jussu, ut
afflictæ vacca vicissim auferretur, eaque insuper plagis ac fustibus
tractaretur: Vacca in stabulum retroactâ, pecora crudelis Do-
mini ad unum omnia brevi temporis spatiò demortua dilabe-
bantur. Hanc supra rem Dominus irâ excandescere ferventi,
usque eò, ut instar hominis omni destituti ratione sæviret, inque
Nomen Divinum totis horrendorum maledictorum plaustris in-
vehere & detonare, illud ipsum in arenam provocans,
optansque ut Deus canes excitaret, qui cadavera (demortua sua
puta pecora) devorarent. En! nullâ ferè interjectâ morâ ade-
rat haud exigua canum vis atque copia, ipseque blasphemus vindi-
ctam divinam sentiens & exhorrescens in Molossum transmuta-
batur. Rumore ad Aulam N. allato, mandatum aliquod ex-
pressum edebatur, ut palam in exemplum omnium taliusmodi
hominum, pietatem atque cultum divinum è cordibus releganti-
um, circumvehere, & orbi universo ostenderetur. Addunt
Relatores, Kynanthropum istum nuperrimè in curru quodam
cum duobus venatoribus visum esse in N. quem ad se etiam pro-
pediem deductum iri sperarent. Capitis formam, perhibetur,
esse humanam, vocem autem edere caninam, nec aliud quic-
quam alimenti loco, nisi cadavera, devorare. Hactenus de nu-
pero illo Kynanthropismo.

A 3

S. V.

§. V. Ut nostram sententiam, quæ negativa est, rectius proponamus, I. *ἠθεροανθρωπικῶς* sciendum videmus, quid sit *Theranthropismus*. Sistit nobis hujus Descriptionem expositio *Paronymia* seu *Etymologia* vocis. Vocabulum Græcum *ἠθεροανθρωπικῶς* est compositum ex vocibus *ἠθερῶς* Bruti, & *ἀνθρώπου* Hominis, uti *λυκάνθρωπος* ἐκ τῆς *λύκῆς* & *ἀνθρώπου*. Significatque proinde vi vocis Animal, vel quod partim Homo, partim Brutum est; vel quod modò Homo, modò Brutum existit; *ἠθεροανθρωπία* ita erit illa ratio & transformatio, quâ aut hoc vel illud animal partim Homo, partim Brutum est: vel modò Homo, modò Brutum existit. Notanter *disjunctivè* locuti sumus propter vocis ambiguitatem. Voce *ἠθεροανθρωπικῶς* enim notari consuevit (1) Animal, quod partim homo, putâ quâ animam, partim etiam brutum, quâ corpus. Hoc ipsum de Nabuchodonosare credidisse videtur Augustinus *Epistol. 187.* Dorotheus *in Synops.* & Epiphanius *in Vita Danielis*, ut & Bodin. *l. 2. C. 6. Daemonol.* & Cornelius à Lapide, referente Mago. Dn. D. Calovio nostro *in Bibliis Illustrat. super Daniel. C. IV.* (2) Animal, quod modò Homo, modò Brutum existit; Homo scilicet olim, Brutum postmodum, & quidem quâ corpus & animam. De utroque Lycanthropismi genere Quæstio nostra negatur.

§. VI. Non autem in controversia positum est I. num datur Theranthropismus *Φαινόμενος* talis; sed num *verus ac realis*? *apparenter* talis est *prestigiatorius*, qui fit per præstigias Sathanæ; & quò homo aliquis à se vel ab aliis per glaucomata Satânica fascinatæ instar feræ videtur, sed non est. Quò referri etiam potest illa species, quâ oculo videntium fascino oblæso homo visus vel videndus subdolè fuit subductus, et brutum in locum illius substitutum. Quamvis enim homo videndus verè sit homo, & brutum visum verè brutum; non tamen verus est *ἠθεροανθρωπικῶς*; requirit enim *ἠθεροσσις* idem numero subjectum, quale hic non est.

§. VII. Neq; (2) sermo est de Theranthropismo *Melancholico*, qui à Medicis describi solet, quòd sit Melancholia quædam, quâ qui laborant, luporum more egrediuntur, ferarum

rum similitudinem amant, & cum eis vivere gaudent. *Vis Melancholia* non permittit, ut talem inficias eamus. *Melancholia* vel morbus ex atra ortus bili amat solitaria loca, vetustorum ædificiorum rudera, loca mortuorum corporibus addicta, ferarum similitudinem &c. Unde Luporum similitudo. Morbus hic pro causa efficiente habet corruptam Phantasiam, intellectui Phantasmata inepta exhibentia & inculcantia. Quidam hinc persuaderi non poterat, ut urinam redderet. Si enim mingeret, aiebat, totam urbem diluvio perituram. Curatus est commentò non ineleganti: Dato enim aliquando pulsu companæ convenerunt ipsum, urbemq; incendio flagrare nunciarunt, & ut civitati summe periclitanti urinâ suâ ferret opem, sollicitarunt. Tunc audiens ille dictis lotium excrevit, & restitutus est. Vidit quendam Johan. Bapt. Montanus, qui putabat, totam terræ superficiem vitream esse, & incolas serpentes: se in lecto velut in Insula hære, unde si egrederetur, incideret in serpentes frangeretque vitrum: nolebat itaq; egredi lecto. Hæc & similia recenset è Celeber. Sennerti *Instit. Medici. l. 2. part. 3. l. 1. c. 7.* famigeratissimus Sperlingius in *Anthropolog. C. 3. Quest. 3. p. 155. seqq.* Hujusmodi Phantasmata solet genius malus intellectum decipere, quantum ad præsentem rem, quatenus imaginationes brutales ipsi suggerit, ut putet, se feram esse, non hominem. Talem *Θηρόοον* fuisse *Θηρόοον* Nabachudonosaris, existimat cum Pererio Grotius, cui sese opponit Magnif. Dn. D. Calovius in *Bibliis Illustr. l. c.* non quòd neget, talem dari, sed quòd urgeat, verba textus Danielis aliquid amplius importare, quàm Phantasias ac imaginationis corruptionem.

§. VIII. Cæterum *verus ac realis Theranthropismus* dividi potest in *Accidentalem* & *Substantialem*. *Accidentalem* vocamus, quò dicitur hominem in feram mutari, eò ipso, quò habet accidentia quædam communia cum bruto, puta quæ externam formam sive habitum, quæ incessum, quæ alimenta, quæ cordis complexionem &c. *Substantialis* & *Essentialis* iterum est vel *totalis*, vel *partialis*. *Totalem* nominamus propriè dictum, ubi animal, quò olim fuit homo, quæ corpus, & animam, jam

existit

exiſſit brutum, habens corpus quã Subſtantiam brutale & ani-
mam irrationale. Vel etiam, cum eodem tempore ſimul homo
& brutum eſt, ceu monſtrum diverſarum ſpecierum. *Partialis*
appellatur *Synecdochicus*, ubi corpus hominis organicum trans-
mutatur in Subſtantiam corporis brutalis, animã rationali ſal-
tim relictã. De ſingulis ſpeciebus Quæſtionis negativam ſumꝰ
probaturi.

§. IX. Distingvendum deniq; eſt diligenter inter ea, quã fieri
poſſunt *virtute naturali*, & quã *ſupernaturali*. De priori impræſen-
tiarum ſermocinamur, non de poſteriori, quã hujus loci non eſt,
cui etiam (ſi per ipſam Theranthropia detur) per noſtra argumẽta
neutiquam aliquid volumus detractum. Quæſtio igitur huc redit:

*Num per virtutem naturalem homo aliquis
poſſit verè & realiter mutari in brutum, im-
primis quã Subſtantiam, ſive quã corpus tan-
tùm, ſive quã corpus & animam ſimul?*

§. X. Sequitur Theſeos confirmatio ſive *κατασκευαστική*.
Probamus negativam I. quã Theranthropiſmum *Subſtantialem*
partialem, ſequentibus

Argumentis

I. Forma & Materia diverſiſſimarum ſpecierum non poſſunt uniri
& ſibi invicem operationes largiri.

Atqvi Corpus ſubſtantialiter ferinum & anima hominis natura-
lis ſunt mate & forma diverſiſſimarum ſpecierum.

Ergo Corpus ſubſtantialiter ferinum & anima hominis rationa-
lis non poſſunt uniri & operationes ſibi invicem largiri.

Maj. prob. Quomodo forma unius ſpecies poteſt eſſe in ma-
teria alterius ejuſq; diverſiſſimæ ſpeciei? cum forma uniatur
materiae propter operationes proprias. Annon ineptè hujus
Opificis instrumentò uteretur alterius artis opifex. v.g. Si pictor
uti vellet malleo ad pingendum; agricola lecuri lignifabri ad a-
randum? non magis autem convenit materia hujus formæ alte-
rius ſpeciei, materia lupi formæ hominis, ad operationes proe-
prias ejus edendas.

§. XI,

§ XI.

Argument. II.

Cujuscunqve materiae temperamentum est diversissimum à materia hominis, illa est inepta ad formam hominis.

Atqvi materiae quoad substantiam belluinae temperamentum est diversissimum à materia hominis.

E. Materia quoad substantiam belluina est inepta ad formam hominis.

Maj. prob. Forma enim uniuscujusque speciei requirit certum temperamentum, estq; hoc instar vinculi, quò materia & forma inter se uniuntur. Requiritur non tantum certae partes certis figuris dispositae, sed debent etiam certis facultatibus esse praeditae, qualitates oportet adesse idoneas, quarum beneficio agere possit forma. Forma hinc non inest prius materiae, quam illa fuerit proximè ad ipsam disposita. *Minor* à nemine negabitur. Testatur de diversitate Temperamenti diversitas effectuum, quae ipsum consequuntur; item diversitas vitae termini, qui in bruto longè dissidet à termino hominis.

§ XII.

Argument. III.

Si viribus naturae neque corpus humanum in corpus brutale, neque etiam anima è corpore humano migrare in brutale, illudque informare potest, sequitur, quòd homo nequeat naturaliter in brutum transmutari quà corpus, relictà animà.

Atqvi prius est.

E. & posterius. Cadit itaque *ὄψεως ἰσχυρία* substantialis Synecdochica sive partialis.

Major nititur immediatà suppositione vel sufficienti enumeratione modorum, quibus hujusmodi Metamorphosis fieri deberet. *Minor* etiam certa est. Major est corporis humani praestantia, quàm ut hujusmodi conversionem & transsubstantiationem, ut cum Pontificiis in alia materia loquar, admitteret; neque si admitteretur, talis transmutandi potentia caderet in Satanam, cum sit tantae virtutis, quantae ipsa creatio est, h. e. infinitae.

§ XIII.

Argument. IV.

Quac, virtute homini, antequam verè moriatur, mors inferri non potest, neque vita restitui, illà non potest anima à cor-

B

pore

pore hominis abduci, alii corpori uniri, & tandem priori corpori restitui.

Atqui virtute naturali homini, antequam verè moriatur, mors inferri non potest, neq; vita restitui.

Major probatur. Mors enim est privatio vitæ in vivente, à solutione animæ & corporis facta. Ubi igitur fit solutio animæ à corpore, ibi mors; Atqui in migratione animæ, quæ fit in Theranthropismo partiali substantiali quæ corpus, fit solutio animæ à corpore, animæ scilicet rationalis à corpore organico. E. ibi mors; moreretur itaq; homo, antequam verè moriatur; & dum reduniretur corpori hominis, quod migrando reliquerat, vita homini restitueretur. *Minor* haud difficulter probari potest: I. Contradictio in adjecto est, mori hominem, antequam verè moriatur, quomodo igitur hoc fieri posset virtute naturali; ea, quæ involvunt contradictionem in adjecto, ne quidem sunt Objectum infinitæ virtutis supernaturalis. (2) Virtus vitæ restitutiva sive hominis resuscitativa est solius Dei Omnipotentis, qui ex nihilo aliquid solus producere potest.

§. XIV. Scrupulum huic argumento injicit Dn. M. Kipping in *Institutionibus Physicis lib. 2. cap. VIII.* qui tamen in præfenti controversia nobiscum facit, testibus §. sequentibus. Disputat, Sagas verè deportari ad conventus nocturnos, scopis, & furcis, hircis & felibus insidentes, ope Geniorum vectorum, unguentis stygiis perlitas, & ceremoniis ludicris consecratis. Argumentum pro hac sua sententia adducit ex experientia, sive exemplis *regerit* Wierus: Sagas multoties domi remansisse, sed profundo somno oppressas hactenus non adfuisse conventiculis, quanquam de illis, cum evigilarent, multa prædicarent. Resp. Dn. M. Kipping: *Non semper adsunt corporibus, quibus dormi relictis cum Dæmone abierunt animatenus, & conventiculis adfuerunt.* Negabit itaq; hic Minorem nostri Argumenti §. præced. allati. *Instat* Wierus: Si Dæmon animam à corpore abducit, mortem infert: et si animam abreptam restituit, excitat mortuos. *Respondet* Kipping: Falsum utrumq; esse. *Nec enim mors est, sed exsternatio sensuum, ut urere & secare Magos possis in*
enstis

ex dōe jacentes, & verò illi non sentiunt. Non, inquam, sentiunt verbera, laniatus, membrorum distractiones, faces ardentes, ferri candentis ustiones, ac ne pulsus quidem arteriarum, aut cordis motus ullus deprehenditur, postea tamen ad corpus reversa anima, dolores vulnerum acerbissimos percipiunt. Quæ omnia arguunt, eos non quidem somno profundo oppressos, verum prorsus anima spoliatos esse. Neq; tamen mors est, quando quidem vegetative facultatis reliquæ & spiritus insitus vitam ut curq; sustinent. Naturalis potentia recipiendi animam adhuc inest in corpore, ubi calidum innatum viget, & membra omnia valida sunt. Hæc Dn. M. Kipping: Verum enim verò abductionem animæ è corpore verè inferre mortem, & non tantum externationem sensuum: & consequenter in restitutione mortuum verè excitari, manifestum adhuc est ex antea dictis. Neque contrarium probat, quòd Magi non sentiant sæpe verbera, laniatus, membrorum distractiones &c. Nam quòd talia non sentiant, ubi verè fiunt, neutiquam probari potest; Diabolus Comœdiæ istius actor est & ictus suscipit, qui nihilominus deinde vulnus infligere potest corpori, & dolores acerbissimos causare. Fallacia itaque non causæ ut causæ committitur, si talia tribuantur spoliationi animæ. Neque vegetativæ facultatis reliquæ & Spiritus insitus possunt vitam sustinere, vel calidum innatum vigere, ubi anima hominis non est; negatò principio negatur principiatum, negatâ anima negantur facultates & operationes ejusdem. Et si tantum potentia recipiendi animam est in corpore, quomodo ibi vita sustineri potest? hæc est actus animæ actualis, non potentia animam suscipiendi.

§. XV.

Argument. V.

Cujus transmutationis nullum monstrari potest exemplum, illa non datur;

Atqui Theranthropismi substantialis, de quo impræsentiarum, nullum monstrari potest exemplum.

E. iste non datur.

B 2

Major

Major est manifesta. Quomodo dici potest dari, & existere, de quo nequit monstrari, ubi detur, & ubi existat? *Minorem* probat examen omnium eorum, quæ vulgò ex experientia pro stabilienda tali transformatione afferri solent, inferiùs instituendum.

§. XVI. Theranthropismo *substantiali, totali*, qui statuitur fieri realiter tum quoad corpus, tum quoad animam, opponimus seqq.

Argument. I.

I. Quacunque virtute non potest fieri efferatio hominis *substantialis, partialis*, quæ corpus, per illam multò minus fieri potest *transsubstantiatio totalis*, quæ corpus & animam.

At virtute naturali per operam Satanicam non potest fieri efferatio hominis *substantialis partialis*, quæ corpus.

E. neque per ipsam fieri potest *transsubstantiatio totalis*.

Major procedit à majori ad minus. Si id quod magis verisimile est, non est, multò minùs, quod minus verisimile est, erit.

Minor probata est in Antecedentibus.

§. XVI. *Argument. II.*

Quæcunque naturaliter fiunt non nisi per semina brutorum, illa operâ Satânica fieri non possunt.

Atqui bruta naturaliter fiunt non nisi per semina brutorum.

E. Opera Satânica hæc fieri nequeunt.

Major em probamus. Solus Deus enim supernaturaliter agere potest; & Dæmonibus semen deest, quò generare atq; ita corpus aliquod naturale producere possent naturaliter. Quomodo id, quod Spiritus est, semen habere potest? Spiritus non aluntur nec augentur; ergò neque alere possunt semen. Quod quis non habet, id neque alteri communicare potest. *Dicis*: Semen Dæmones suffurari ab aliis. *Resp.* Hoc fieri non posse, salvâ fecunditate seminis; Spiritus enim liqueceret, & aquesceret; neque si transferreret, idèò generaret; is qui semen emittit, dicitur generare, non qui transfert. *Minor* non potest negari.

Non nisi duo media sunt, quibus corpus naturale producitur, nempe

pe

pe creatio & generatio: Septimo die ab opere creationis Deus cessavit, hodie igitur non nisi per generationem tale quid produci potest.

§. XVIII.

Argument. III.

Cujuscunque operâ ne quidem pediculi produci possunt, illius operâ multò minus majoris virtutis bruta produci possunt per transmutationem substantialem. Qui enim non potest minus, quomodo poterit majus?

Atqui Operâ Satânica ne quidem pediculi produci possunt, testante historia operum Satanicorum, per Magos patratum coram Pharaone.

Ergo multò minus opera Satânica bruta majoris virtutis produci possunt per transmutationem substantialem. Possent adhuc alia, & quidem quæ supra contra Theranthropismum partialem sunt adducta, urgeri Argumenta, sed ne crambem bis coctam apponere videamur. B. L. eò remittimus.

§. XIX. Quid? quòd denique ne quidem *ἁπλοῦς ἀκcidentalίς* de virtute naturali probari possit. Natura cuilibet speciei debita sua indidit accidentia propria, homini humana, bruto bruta; talia non nisi solus Deus per extraordinariam & absolutam suam potentiam mutare potest & transformare. Loquimur autem de accidentibus propriis, quæ per emanationem fluunt ex essentia, non communibus quolibuscunque. Quacunque virtute itaque essentia hominis ipsa non potest transsubstantiari, illâ neque accidentia ejusdem propria transmutari. A. Virtute naturali &c. Ergo.

§. XX. *Κατασκευαστικὴν* excipit denique *ἀνασκευαστικὴν*; h. e. videndum adhuc est, quanti momenti sint argumenta dissentientium. I. *Objicitur* illud Virgilii in *Eclog. VIII. Carmibus Circe socios mutavit Ulyssis*; item quod paulò post habetur de Incantatore Moeri: *His (herbis) ego sepe lupum fieri, & se contere Sylvis Moerim* Resp. (1) non omnia verè esse gesta, quæ narrant Poetæ, sed multa per licentiam Poeticam esse ficta. (2) Unde probatur, Theranthropismum illum fuisse realem, & non præ-

B 3

figis

Stigatorium? Annon potuit Genius malus oculis videntium
glaucoma obicere, ut socios Ulyssis aspexerint pro feris, quales
tamen non fuere? Vel annon potuit ipse aliò modò speciem fe-
rarum mentiri?

§. XXI. *Objiciuntur II. ea, quæ producuntur de Rossis,
Livonis, Lapponis, Ingris, Scirkfinnis; quòd apud hosce multi
sint, qui singulis annis convertantur in lupos, campos perva-
gentur, pecora & armenta dilacerent, & exactis diebus duode-
cim luporum speciem deponere & homines agere. Vide supra
narrationem Peuceri de hâc re. Resp. I. multa de hâc re narrari,
quæ non immeritò habentur profectis & fabulolis. Jucolæ re-
gionum plus non testantur, quàm quòd agmina luporum vide-
antur certis temporibus; quòd autem illi sint Lycanthropi, unde
probabitur? Provocas ad confessiones eorum, qui ex numero
illo propter scelera comprehensi & tormentis examinati fuere.
Resp. sagarum confessiones nihil probare. Sunt enim judicii
corrupti & phantasiæ depravatæ; quantas ineptias hæc suggere-
re possit, supra vidimus. II. Annon Satan hujusmodi lusum
facere potest mirificis suis spectris, & hominibus interim persua-
dere, quasi ipsi talia præstarent, ceu Lycanthropi? imò præstare
potest talia per suos satellites.*

§. XXII. *Bodinus excipit I. Qvosc. visus noster appre-
hendit, ut veros lupos, canes, feles, asinos &c. illi sunt pro veris
habendi à nobis. Atqui homines illos visus noster appren-
dit, ut veros lupos &c. E. Resp. Distinguendo inter Objectum,
prout in se ac per se & ratione suæ naturæ est, & prout variis
præstigiis est circumdatum, & forma ficta indutum. Item inter
visum fascinatam & à fascinatione liberum. Restringimus
Majorem: Qvoscunq; apprehendit visus noster à fascinatione
liber ceu lupos, canes, feles &c. nullis præstigiis circumfusus,
illi pro veris lupis, canibus, fetibus &c. sunt habendi. sed unde
Minor probabitur, cum intimata restrictione concepta? Repli-
cas: conversionem in bruta non nullos septennio, alios quin-
quennio, alios triennio occupasse, ut Lucianus, Apulejus, Phi-
laltrus narrant; non autem esse verisimile, præstigias tanto tem-
pore*

pore durare. Resp. Quidni Satan id, quod brevi tempore facere
posse conceditur, præstare poterit longò temporis spatio.

§. XXIII. *Urgetur à Bodino II.* Qui habent proprietates, & edunt effectus luporum, illi sunt veri lupi; Atqui lupi in Livonia & vicinis regionibus, qui creduntur esse homines, habent proprietates & edunt effectus luporum. E Minor prob. quia currunt quadrupedes, carent sermone, edunt sonos horridos, grassantur in eqvos, oves, vitulos, perinde uti veri lupi; edunt etiam gramina & carnes crudas. *Resp.* (1) Etsi vel concedamus totum, non tamen inde probatur Lycanthropismus; nondum enim probatum est, quòd veri illi lupi fuerint homines, vel sint tales adhuc quoad animam. (2) Ad Minorem, proprietates luporum nondum apparere, sed tantum analoga quædam. (3) Ad Majorem, recensitos effectus lupinos fieri posse etiam à dæmonibus; hic formam quadrupedis induere, horribilem sonum formare, strages pecorum efficere, gramina & carnes crudas devorare, & similia præstare facile potest. Imò non repugnat, talia præstari à subditis dæmonum adjuvante genio malo; cursus quadrupes est inflectio manuum ac pedum, quam infessor miserorum illorum Satan facile præstare potest, qui etiam potest sermonis usum reprimere, sonos alios formare, per membra sua, luporum imagines gerentia, pecudes laniare; ipsisque phantasmata brutorum opprimere, ut gramina edant & carnes crudas devorent, id quod etiam fit ab hominibus fame pressis. (4) Major est limitanda sic: Quicumque verè & non apparenter tantum proprietates habent, & edunt effectus luporum, illi sunt veri lupi. Sed unde jam probatur Minor?


§. XXIV. *Obijctur III.* exemplum Nabachodonosaris, qui transmutatus fuerit in bovem. *Resp.* I. Qualis illa *Ἰνπέσις* fuerit, libet audire Celeberr. Theol. & Philos. Dn. D. Calovium nostrum in suis Bibliis Illustr. super Dan. C. IV. Non mera tantum Phantasiæ corruptio fuit, uti cum Pererio Grotius existimat, nedum meræ hic præstigiæ, quòd aliis tantum instar feræ visus fuerit, aut externum solum spectaculum, quasi Deus circa corpus ejus feræ aliquam figuram circumposuerit, sub qua visus credi-

“ creditus alius fuerit fera. Siquidem aliquid amplius textus ver-
 “ ba important, ac præter phantasias ac imaginationis corruptio-
 “ nem, quâ sibi in feram, unius puta aut alterius speciei mutatus
 “ videbatur, adeoque & cum feris vivere amabat, rationis usu ma-
 “ gnâ partem privatus fuerit, & phantasiâ ferè tantum utebatur
 “ ferinâ, quàm expressè dicatur: COR FERAE DETUR ELV. 13. Quid
 “ non potest parabolicè accipi, ut Origines voluit. Nam hîc ve-
 “ ra historia narratur. Etsi per intervalla aliqua eum solum usum
 “ rationis habuisse, non negandum videtur. Adhæc cordis com-
 “ plexio etiam immutata, idq; ita transferatum fuit, ut simile esset fe-
 “ rino, quantum citra naturæ humanæ amissionem, aut transub-
 “ stantiationem fieri potuit. Porro habitus etiam accedebat, ferio-
 “ nus magis, quàm humanus, quia nudus incedebat, roriq; imbri,
 “ & aliis aeris injuriis expositus, sine lare & tecto oberrabat, & ca-
 “ pilli ejus accreverunt, ut totum penè corpus contererent, ac pili
 “ crassissimi avium plumas referrent. Ungues non ressecabantur, &
 “ ad instar unguium avium exercebant. Cutis non erat mol-
 “ lis, sed dura & ferinæ magis, quàm humanæ similis, facies ab hu-
 “ mana diversa accedere ad ferinam apparebat, incessus formâ fe-
 “ rina erat, quia non erectus incedebat, sed curvus & pronus, ma-
 “ nibus & pedibus reptabat instar bestiæ, ideò vers. 33. dicit. Figura
 “ mea reversa est ad me. Deniq; cum feris versabatur in Sylvis, qua-
 “ si fera, earumque victu fruebatur, herbis & radicibus. Fuit
 “ itaq; non substantialis, de quâ potissimum hic quæritur, sed ac-
 “ cidentalitè *ἰσχυροῦς*. (2) Disting. inter ea, quæ fiunt virtute super-
 “ naturali, divina, & quæ naturali. Quæstio nostra loquitur non de
 “ priori, sed de posteriori, unde Objectio *ἔτι πρὸς ἕαρος*.

§. XXV. *Objus* deniq; IV. exemplum *Κυρανθρωπίας*, de
 qua supra in Antithesi, à Noricis in Novellas relatam. Resp. I.
 Nullam rei gestæ haberi certitudinem, unde fundamenti loco
 stari nequit. (2) Ubi tale quid accidit, virtuti nemesis divina
 sive supernaturali adscribendum venit; atqui quòd
 nos de virtute naturali loquamur, sæpius dictum;

ἀπρόσδοκόν itaq; id est.

T A N T U M.



Mira solent tristes rerum
portendere casus,
Mira hominum, **KRAUSI**, non
sine laude doces.

JOHANNES MEISNERUS D.

Sic juvat in studiis *profectus* quærare mul-
tos,

Qui possint olim *commoda* ferre solo.
Ingenium colitur multo *conamine* semper,
Atq; *exercitium* perficit *artis* opus.
Ergo tuis *studiis* bene consulis, *Optime*
Fautor,


Quando *exercitiis* excolis *ingenium*.
Perge, tuis *studiis* *Cæli* *benedictio* larga
Continget, multo *foenore* curret *honor*!

JOHANNES Deutschmann D.
C Res

Res physicas rectè scrutari mente sagaci,
Est magnæ magnum sedulitatis opus.
Hinc Tibi debentur laudes, DOCTISSIME CRUSI,
In rebus Physicis, quòd tua dona probas.
Ac ego corde, tuis studiis precor optima fata,
Sit labor hic felix, profit & ipse Tibi!

Hæc paucula
gratulab. suo honorand. Dn. Convictori
dabat

M. GEORGIUS VVAGNERUS,
Fac. Phil. Adj.



Weil Er / Hoch = wehrter Freund!
Den Schrifften übergiebet /
In diesem Elb = Athen / was Ihn unsterb =
lich macht /
So sieht man daß Er hat / bißhero recht ge =
liebet /
Die Edle Wissenschaft: Ich wünsch Ihm
größre Pracht.

In honorem Doctiss: Dni Respondentis felicissi =
mè disputantis, Amici sui certissimi hæc ap =
poneb:


JOHANN · SIGISMUND Tannen · Berg /
U. J. C. & P. N. C. Sunt

Sunt equidem miræ Stygii Cacodæmonis artes,
Quæis homines mirè mortales fallere novit,
Ut, quæ non cernunt, videantur cernere certò.
Herbis de *Mæris* sic clarus in arte Poëta:
*His ego sepe lupum fieri, & se condere sylvis, **
Vidi. Sic jactant se tale videre Livoni.
*Carminibus Circe socios mutavit Ulyssus. **
Detegis has fraudes, mi CRAUSI docte, malignas.
Hinc Laribus Patriis spes, Te laudesq; manebunt.

* VIRGIL. ECLOG. VIII.

f.

M. JOHANNES REINHARD,
Præses.



Quæ malesana pium Rabies infestet ovile,
Efferat tartarei dicitur ira Lupi.
Obstupet attoniti, Stygiamq; Livonia fraudem
Atq; truces formas, per sua Regna, refert.
Hanc Metamorphosin retegis, Doctissime
KRAUSI,

Perge, Lupis Larvam deme, luposq; Lupo.

Gratulab: hæc dabat amico & Convictori
suo honoratissimo

MICHAEL AUGUSTINI,

Sel. Hungarus.


C 2

In

In canis humanas mutatas corpora formas
Fert animus, *Crausi*, dicere ritè Tuus.
In doctum producta Virum solertia vertet
Te, paribus studiis si invigilare velis.

*Præstantissimi Dno. Respondenti, Convictori
suo per dilecto facieb.*

PAULUS Blecher /
Leutschov, Hung.



Hominem ferinos posse vulrus indui
Theologus instat Physicus obnixè negat.
Nempe ille res, quæ non adiri sensibus
Nostræq; possunt mente solerter capi,
Nisi cælica quis instruat gratia;
Sed hic vices viresque naturæ explicat,
Ratione quæ recta negatur, quod suæ
Dextræ potenti proprium fecit Deus.
Nec Ditis illa perspicax versaria
Sagaxq; rerum cura quicquam proficit
Quicquid sagarum dira vis ogganniat,
Ecquid loquar ferale monstrum Gorgonis,
Venena Circes Thesfaliasq; nænias?
Apinæq; sunt tricaq; vatum carmina,
Aut veritatis obrutæ tectoria
Quæis mentis in crustatur impotens furor.
Multis moror. Docebis ista rectius
Amice Fautor, cum benignis plausibus
Cathedram petes politioris ingeni

Specimen



specimen daturus, quâ probare industriam
Et Patriæ Tuisq; virtutem queas.
Sis undiqvâq; maciè pulchris ausibus,
Sic Te quoq; undiqvâq; maclabit favor,
Deiq; patriæq; dignis præmiis.
Qvi liberali amore flagrat artium,
Et majus hunc Theolôgia manet decus.

scribat.

M. FRIDERICUS CHRISTIANUS Bücher.

UNum vis, scribam, modò distichon: Accipe,
CRUSI,
Ut scandas cathedram non sine laude, pre-
cor.

Pauca hæc Amico suo & Conterraneo pluri-
mùm dilecto gratulabundus
apposuit

Casparus Sättler / Torgâ-Misn.

NON est indocti doctam conscribere, *Crusi*
Dilectissime, Disputationem.
Sed sudasse prius, multum legisse necesse est
illum, qvi Cathedram subire gaudet.

C 3


Dona

Dona tui ingenii Theranthropismus, *Amice*
Per dilecte, satis docet legentem.
Tali perge modo, feliciter illa tuere,
Sic laudem atq; decus *Tibi* parabis.

Hec

Pereximio atq; Politissimo Dn. Respondenti Amico
suo medullitus dilecto apponebat

GEORGIUS Frische/Haynâ-Misa.
Phil; & SS. Theol. Stud.



SD muß den brechen aus / diß / was man
längst zuwissen /

Herr Krause hat gewünscht / hat endlich kom-
men müssen

Durch deinen hohen Geist ins klare Son-
nen-Licht /

Diß grausam Wunderwerck / und wie Gott
zornich richt?

Drumb mir dein hoher Geist / und deine fluge
Sinnen /

Gar

Gar leichtlich bilden ein / du werdest bald ge-
winnen

Durch deiner Weißheit Pracht den schön-
sten Ruhm und Preis /
Und von der Pallas selbst ein grünes Lor-
ber Reiß.

Fahr fohrt in deinem Lauff / fahr fort in deinem
Kennen /

Es wird dich Jederman allhier noch müssen
nennen /

Der steten Weißheit Glanz / und rühmen
deinen Fleiß /

So lang der Sonnen Liecht bestrahlt den
Erden = Kreis.

Seinem Herrn Landesmann zu Ehren
hat dieses setzen wollen

Johann Christian Pauli,
L. L. Stud.

Rebus

REBUS in humanis Naturam ludere, docto,
Amice, monstras Themate.
Gratulor his coeptis! Pergas; Tibi porrò fa-
vebunt
Patres, favebit Patria!

PAULUS HERMANNUS,
Torg.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18








ANTHRO-
FICTUS.

vem
JUVANTE
Sub
SIDIO

ic Praeclarissimi
NIS REINHARDI,

isâ - Franci,
imi, juxtim atq; Fautoris,
servantiæ cultu usq; & usq;
erandi, colendi,
Φύτων *Examini*
stet

NRICUS Krause /
v: Misnic.
io consveto,
emeridianis
Octobris,



EBERGÆ,
BORCKARDI, ACAD. TYPOGR.
NO 1673.

